Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36884
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

M.LXXV. Ernist Marchio occisus est in Saxonia. Heinrici Regis primum bellum ibid.

M.LXXVI.

M.LXXVII. Magna discordia inter Papam, et Regem oritur. Heinricus in Italiam proficiscitur. Rudolf dux Suevie novus Ecclesie Machabeus contra Heinricum utpote contra novum Antiochum, in Regem eligitur apud Vorcheim.

M.LXXVIII. Secundum bellum inter duos Reges in Saxonia comittitur, in quo Diepoldg comes occiditur.

M.LXXVIIII.

M.LXXX. Gregorius VII. Papa Heinricum Regem excomunicat. Tertium bellum Heinrici cum Saxonibg.

M.LXXXI. Rudolf Rex occubuit. Quartum bellum Heinrici Regis cum Saxonibus

M.LXXXII. Hoc anno IIII. Id. Mai. Feria V. bellum ad Mauriberg est actum, et cum maximo nostratium excidio terminatum.

M.LXXXIII. Monasterium Sancte Marie in Monte Kotwigensi a Venerabili Altmanno Pataviensi Episcopo dedicatum est. Heinricus Rex Wicpertum hereticum in Sede apostolica Superposuit, Gregorio VII. ejecto.

M.LXXXIIII.

M.LXXXV. Gregorius VII. defungitur, qui post obitum miraculis claruit, quo mortuo duos años cessavit Episcopatus; Quibertus enim Ravennas heresiarcha VII° eidem anno apostolicam Sedem tyranice invasit, eamque usque post obitum ejus plures años infestavit.